



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

39. Quibus sumptibus solvenda sit eleemosyna Prædicatori. Ex p. 3. t. 5. &
Misc. 1. r. 71.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76369)

RESOL. XXXIX.

Quibus sumptibus soluenda sit elemosina Prædicatori ?
Ex p. 3. tr. 5. & Misc. Ref. 71.

§. 1. **H**ic casus frequenter solet accidere, & non verò determinat Paponius *de iur. Franc. lib. 1. ar. 9. in glossa littera A.* ubi sic asserit: In quæstione, quænam salarium Prædicatori præstare teneatur, distinctione utendum est, nempe ut si de vrbe agatur, in qua Archiepiscopus, vel Episcopus, eo casu officium pastoris est prædicare vel prædicati curare, & verbum Dei annunciare gregi suo, idque expensis suis. Ita iudicatum fuit aduersus Archiepiscopum Bituricensis 1. Junij 1522. At si non de vrbe, sed oppido agatur, ubi sit Ecclesia Collegialis, vel Curio, tum omnes ij qui decimas in prædicta parochia percipiunt, ad Prædicatori salarium conferre debent; parochiam verò ad victus expensas. Ita ille, & ante illud Mynardus *decis. 4. 35. & 36.*

2. Sed quod dictum est de Episcopo, procedit etiam quando dubitatur, quorum sumptibus sit conducendus Prædicator, seu alendus; & ita declarasse Sacram Cardinalium Congregationem, ex Vgolino, & Galletti testatur Riccius *in praxi tom. 1. resol. 468. n. 3.* qui *in n. 4. & 5.* limitat supradicta existente consuetudine in contrarium. Nam ubi consuetudo adesset, ut prædicator vel ab Episcopo eligeretur, vel ab alio; communitas, vel aliquis alius sumptus præberet, in tali casu Episcopus ad nihil teneretur. Quod etiam procedit, si populus eligeret, & nominaret concionatorem, & sumptus etiam faceret; nam tunc Episcopus hoc onere leuabitur. Igitur consuetudo considerata videtur, & secundum illam determinandum, qua seculsa Episcopum obligabit.

RESOL. XL.

An sit præceptum dandi elemosinam iis, qui voluntarie pauperes sunt, ut Religiosi ? Ex part. 5. tract. 8. Refol. 18.

§. 1. **M**edina *Cod. de elemosina, quæst. de elemos. danda sanis, §. quæret foris aliquis.* asserit non esse præceptum titulo paupertatis his pauperibus conferre elemosinam, quia voluntate sua eligentes, non potuerunt aliis inducere obligationem. Fateretur tamen ex alio capite posse intercedere obligationem subueniendi eorum necessitatibus; videlicet quia ministrant spiritualia; & idè debetur illis sustentatio.

2. Sed meritò Lorca *in 2. 2. sect. 3. disp. 39. mem. 4. num. 57.* asserit hanc sententiam & differentiam inter pauperes voluntarios & alios pauperes, apud nullum alium Authorem inuenire, & idè non censet probabilem, & omninò asserendum putat his pauperibus deberi elemosinam ex præcepto, sicut aliis, quia eorum paupertas & necessitas vera est & iusta, quod autem voluntariè contracta fuerit, nihil refert, si voluntas & causa contrahendi pia fuit, Deo grata, & rationi conformis.

RESOL. XLI.

An sit danda elemosina homini auaro indigenti, qui propriis rebus vti non valet ?
Et quid de vagabundis, qui voluntariam, culpabilem,

& vitiosam inopiam patiuntur ? Ex part. 5. tract. 8. Ref. 19.

§. 1. **R**espondeo non esse dandam, & eandem esse rationem ac de vagabundis, nam iste voluntariam, culpabilem, & vitiosam inopiam patitur. Excipiendum tamen est, si impotenti passione victus in hanc miseriam incidet, tunc enim compatiendum esset, & subueniendum eo modo, quo succurrendum esset ei; qui vehementi passione oppressus sibi ipsi suspendium parat, sed in hoc casu ex bonis ipsius non ex propriis subueniendum esset. Ita docet Lorca *in 2. 2. sect. 3. disp. 37. num. 11.* & Azotius *tom. 2. lib. 12. capite 9. quæst. 5.* cum Syluio *in 2. 2. quæst. 32. art. 9. quæritur 4.*

RESOL. XLII.

An rectè excludantur aliquando à Civitatibus pauperes, peregrini ?

Et an liceat legem ferre, ne quis pauperum publicè, & ostiatium mendicet ? Ex parte 5. tractatu 8. Refolut. 36.

§. 1. **R**ectè respondet Becanus *in 2. 2. de fide, spe & charitate, cap. 21. dub. 9. num. 23.* si hoc efficiatur ob has causas. Primum, quia pauperes domiciliari peregrinis præferendi sunt, si utriusque satisfieri non possit. Secundò, quia peregrini sæpè inferunt motus, corruptelas, hæreses, contentiones, proditones, Tertio, quia multi ex illis sano & integro sunt corpore, qui si admittantur, computrescunt in otio, & aliis peccatis inde consequentibus; si excludantur, cogitant de victu per labores acquirendo, quo honestius est. Ita ille.

2. Verum docet Syluius contrariam sententiam *in 2. 2. D. Thom. quæst. 32. art. 9. quæritur tertio.* Sed in illo casu si occurrerit & in simili, an videlicet liceat legem ferre, ne quis pauperum publicè & ostiatium mendicet, Episcopi & Magistratus seculares non deserant omnino videre Adamum Tannetum *tom. 5. disp. 2. quæst. 5. dub. 3. per tot.* & Apologiam in causa pauperum Domini Soto.

RESOL. XLIII.

An promittens elemosinam cuidam pauperi possit alteri, vel sibi pauperiori conferre ?

Et inter alia, qua circa hoc deducuntur, tandem docetur non posse Confessarium commutare penitentiam erogandi elemosinam per solam applicationem ad ipsum penitentem tanquam ad pauperem. Ex p. 5. tr. 8. Ref. 37.

§. 1. **A**d hoc dubium ita respondet Sanchez *in summa tom. 1. lib. 4. cap. 49. num. 6.* Deducitur elemosinam promissam Deo elargiendum certo pauperi, dum ipsi non est ius acquisitum per accipationem, posse propria voutentis autoritate dari alij pauperiori, dummodò cætera sint paria, id est, non concurrat peculiaris aliqua circumstantia in minus paupere, ut elemosina illi collata sit Deo gratior, quia cæteris paribus, præstantior est elemosina pauperiori data. Posset autem quispiam existimare, posse sibi quoque applicare si pauperior sit. Sicut res incertas furto ablatas restituendas pauperibus potest restitutioni obnoxius si pauper sit, sibi applicare. Cum tamen sit obligatio iustitiæ, quæ necessariè est ad alterum, & iustus elemosinam inter pauperes